





28.  
DISPUTATIO JURIDICA,  
<sup>DE</sup>  
**ILLICITA JURIS  
RENUNTIATIONE,**

Quam,

AUXILIANTE DEO,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO atq; EXCELSISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,  
**DOMINO FRIDERICO  
WILHELMO,**  
REGNI PRUSSIÆ AC ELECTORATUS  
BRANDENBURGICI HEREDE &c. &c. &c.  
CONSENTIENTE AMPLISSIMA FACULTATE  
JURIDICA,

*In Academiâ ad Pregelam Regiâ,*  
PRÆSIDE,

**PETRO Schwenkern /**

U. J. E. & P. P.

*Publicæ eruditorum censuræ proponit*  
**JOHANN DANIEL CASSEBURG,**  
LL. Stud.

*Anno M. DCC. IV. ad Diem April.*  
H. L. q. C.

---

**REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.**

1704, 2. 14  
43.

INCLYTÆ  
PALÆOPOLEOS IN REGIO PRUSSORUM MONTE  
PATRIBUS GRAVISSIMIS.  
GENEROZO, PRÆ-NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS  
& CONSULTISSIMIS  
DOMINIS  
CONSULI.  
PRO-CONSULI.  
SENATORIBUS  
ET  
SECRETARIO  
PARENTI, PATRONIS ATQUE PROMOTORIBUS SUIS  
OMNI SUBMISSIONIS CULTU VENERANDIS

Exiguum hocce specimen Academicum in ulteriorem sui,  
studiorumque suorum commendationem annexo  
omnis felicitatis voto

*dedicat atq[ue] offert*  
JOH. DAN. CASSEBURG.

**I**n Enunciationes jurium in negotiis humanis frequentissimè occurunt. Nullus enim contritus, nullum ferè instrumentum moribus ho- diernis judicantium oculis exhibetur, in quo, non dicam manipulum, sed integrum renuncia- tionum messēm deprehendere liceat. Cauti quippè con- trahentes istis renunciationum formulis materiam litis amputare nituntur, omni studio eò laborantes, ne lites ex lite serantur, causaque semel sopita non sine magnis mole- stiis opumq; detimento resuscifetur, nec, quod Hydræ Lerneæ accidit, uno capite recisò, alia plura renascantur. Evidem propter perversam nonnullorum malitiam, qui- bus tunc demum benè est, cùm aliis malè, non raro con- tingit, ut hi votō suo, laudabiliq; intentione excidant, ple- risq; tamèn casibus adhuc renunciationum efficacia in ju- diciis observatur. Nec mirūm. Liberam quippè libero rerum suarum moderatori & arbitro renunciandi faculta- tem jura indulgent. Non tamen in infinitum hæc potestas se extendit. Sunt certi limites, quibus illa includitur. Sci- licet & hīc illud Poetæ obtinet:

*Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines,*

*Quos ultrà citrāq; nequit consistere rectum.*

Habet suam veritatem Regula in l. 29. C. de paci. & l. 51. C. de Episcop. fundata, quā unicuique licentia juri suo renun- ciandi tribuitur. Verūm agnoscit suas exceptiones, & communem Regularum, quæ raro universales, sed quām plurimis limitationibus atque exceptioni us obnoxiae exi- stunt, indolem imitatur. Quo intuitu præsens noster la- bor, quem nunc suscepimus, eò dirigetur, ut potiores ca- sus, quibus renunciatio non admittitur, perlustremus. Eum in finem memores moniti Imperat. Justin. dicentis: in l. 2.

A

C. de

*C. de Offic. Præf. Præt. in nomine Domini nostri Iesu Christi ad omnia consilia omnesq; actus semper progrediendum esse, Divini Numinis auxilium humillimis precibus imploramus.*

§. I.

Homony-  
mia v.re-  
nuncia-  
tionis.

**A**ntequam ipsius rei tradictionem aggrediamur, necessarium erit, ut prius Rubrum consideremus, quod feliciori progressu cura nostra circā res occupari possit. Voces itaq; in Rubro positæ expendenda veniunt, quas inter tamèn, ne studio in re manifestâ nos diu detinere velle videamur, reliq; reliquis, sola renunciatio in praesenti ulteriore considerationem merebitur. Hæc varias recipit significationes. Accipitur enim (1) pro repudio, quo sponsus vel sponsa à sponsalibus initis recedit. Quod in l. 10. ff. de spons. dicitur nuntium remittere, id in l. 17. §. f. ff. de reb. auct. jud. poss. & l. 1. C. de sponsal. per renunciare ex primitur. Imò expresse renunciatio pro repudio usurpatur in l. 2. §. 1. ff. de divor. Eo intuitu renunciatio Asconio dicitur recusatio ejus rei, quæ in paclum & promissionem venerat. (2) Pro declaratione officii Magistratus, quâ indicatur, aliquem officio certo ornari. Ita Consulem, Tribunum, aliumve Magistratum renunciari, i.e. declarari dicimus. (3) Pro novi operis nuntiatione l. 16. ff. de N.O.N. (4) Pro eo testimonii genere, quod ab architectis & magistris cuiusque officii, cum opus est, edi solet. Sic renunciare modum mensores dicuntur, l. 1. pr. l. 5. pr. & §. 1. ff. Si mens. fals. mod. dix. Hinc renunciare legationem, idem est, quod referre, quæ in legatione gesta sunt. conf. l. 40. pr. ff. de cont. emp. l. 42. ff. mand. (5) Pro illo actu judicii, in quo allegationibus & probationibus renunciatur. Avsh. jubes C. de judic. c. 11 x. de probat. Huc refert Richter. in Comment. ad all. cap. n. 150. renunciationes litium & actiōnum, probationis, aut anteā reservatae reprobationis, leu- tera-

terationum & appellationum, omnium allegationum juris  
& facti. (6) Jure Canonico *l. 1. t. 9. Decret. L. 1. t. 7. Sext.*  
*Clem. l. 1. t. 4.* pro resignatione officiorum, tam Ecclesiastico-  
rum, de qua agit *Brunn. in Jur. Ecclesiast. l. 2. c. 4. §. 14.* &  
*Dn. Stryck. in Not. ibid.* quam secularium ac civilium. Germ.  
vom Dienst abdanken. Conf. *Itigii Disp. Inaug. de Officii in*  
*favorem tertii resignatione.* (7) Pro remissione, refutatione  
& abdicatione juris, sive actu, sive potentia sibi compet-  
tentis. Ultima significatio Rubro nostro convenit. Re-  
nunciatio enim hic denotat scienter & sponte factam juris  
ad renunciantem pertinentis legitimam remissionem Bre-  
vius describi solet, per juris proprii legitimam refutatio-  
nem.

## §. II.

Renunciatio plurimas admittit divisiones. Est enim  
(I.) alia personalis, alia realis. Haec est, quando verba in  
rem concipiuntur, veluti si quis dixerit, renuntio heredi-  
tati, feudo &c. Illa vero nominatur, quando verba cer-  
tam personam respiciunt, ut si hereditati maternae, feudo  
paterno renuncietur. (II.) Alia est jurata, alia non jurata.  
Prior dicitur, cui juramentum accessit. Posterior audit,  
que vel nullo confirmatur juramento, vel ex ipso renun-  
ciationis indeole nullum admittit. Prior ob vinculum ju-  
ramenti major vis competit. Unde & Dd. illi eandem ef-  
ficaciam, quæ generalis & specifica gaudet, tribuere non  
dubitant. Conf. *Gail. l. 2. O. 27. n. 23. Mafcardus de Probat. concl.*  
*1271. n. 53.* Num vero pro jurata renunciatione illa, quæ  
sub hac formula *An Eydes statt / facta, sit habenda, inter*  
*Dd. disquiritur?* Evidem nonnulli eam jurata æquipar-  
rant vid. *Dauth. Expos. c. quamvis in oto n. 23. Panormitan. in*  
*c. ad aures n. 1. x. quod met. caus.* Verum illorum opinio,  
quibus dictam renunciationem à jurata secernere placet,

Divisio  
1. in perso-  
nalem &  
realem.

2. in jura-  
tam & non  
juratam.

meliori innititur fundamento. Jura quippe in illis actibus, ad quorum validitatem verum juramentum desiderant, hanc formulam insufficientem pronunciant. *Stryck de C. C. S. 2. c. 6 §. 5.*, ubi addit, nec illa verba: *Bey dem Wort der Wahrheit/ sufficiente, quando juramentum corporale leges exigunt.* Ista vero formula renunciationi apposita: *So wahr mir Gott helfe/ veri juramenti vim habet in judiciis.* *Carpz. p. 2. c. 16 d. 6.* cum in illis verbis hodie forma essentialis juramenti consistat. *Carpzov. all. l. n. 7.* Et haec verba sufficientia judicantur, etiam si non additum sit: *Ich schwere.* *Stryck de C. C. S. 1. c. 5. §. 18.*

### §. III.

3. In generali, speciale, subalterna vocatur, & specialissimam. Generalis est, quam quis omnibus exceptionibus, juribus, legumque beneficiis renunciat, his formulis: *Allen rechtlichen Behesten und Wohlthaten/ so ihm von Rechts und Gewohnheit wegen zu statten kommen könnten oder möchten/ so wol/ die bereits eingeführet/ als auch die künftig durch neue Gesetze/ Statuta oder Gewohnheiten introduciret oder durch menschlichen Willen und Verstand erfunden werden möchten.* *Stryck. in C. C. S. 1. c. 5. §. 2.* Hujus renunciationis nulla est validitas. Hinc fidejussor, etiam si omnibus ac singulis beneficiis juris ac legum renunciaverit, nihilominus beneficiis fidejussoribus indulxit; v.g. beneficio ordinis, divisionis uti potest. *Berl. P. 2. cap. 22. n. 15.* Unde clausula generalis omnium jurium renunciationis, cautelis abundantibus annumerari solet. *Stryck. Disp. de Caut. abund. in contr. c. 3. n. 28.* Subalterna dicitur, quam certo generi beneficiorum renunciatur, v.g. quando quis beneficiis fidejussoribus concessis renunciat. Specialissima nominatur, quam huic vel illi beneficio renunciatur, veluti si fidejussor beneficio ordinis renunciet. *Carpz. P. 2. c. 17. d. 1.*

### §. IV.

§. IV.

Porrò renunciatio (IV.) alia est expressa, alia tacita. Ex- 4. In expres-  
pressam suprà in §. 1. deseripsumus. Tacita verò dicitur, <sup>fam & ta-</sup>  
quæ ex actu præcedente, illam necessariò inferente, præ-  
sumptione inducitur. Sic querelæ in officiis testamenti, re-  
lictum legatum ab instituto herede oblatum acceptans tacitè  
censetur renunciasse. Ex facta legati acceptance quippè ap-  
probatio voluntatis testatoris colligitur. *I. 10. § f. l. 31. S. f. ff. de*  
*inoff. test. l. 5. ff. de his, que ut indig.* Post approbatam verò  
voluntatem non amplius querelæ locus est. Jurisdictioni  
tacitè renunciat, data occasione in delinquentem oblatum  
non animadvertis. Privilegio tacitè renunciat Privile-  
giatus, si oblatâ occasione eodem non utatur. *I. 7. C. de his*  
*qui accus. non poss. L. 1. ff. de mund. c. 15. x. de privil.* Fidejus-  
for admittens, ut antè principalem excutiatur, tacitè bene-  
ficio ordinis renunciat. Deniq; (V.) renunciationem <sup>5. In licitam</sup>  
commodè dividere licet, in licitam & illicitam. Priori de-  
notamus eam, quæ lege permittente validè effectum suum  
consequitur. Posterior verò illam indicat, qua legum  
dispositioni contraria validitate desfitur. Non illam,  
sed hanc præsenti disputatione expendere constituimus,  
ita, ut præcipuos casus, in quibus non licet juri renunciare,  
paucis sistamus.

§. V.

Quod dum meditamus, à Jure Naturali non immeritò  
ordimur. In hoc, jus circà vitam hominis rerum omnium De Jure Na-  
pretiosissimam considerandum se offert. Huic nemo re-  
nunciare potest. Hinc defensio, quæ invatus, invasori turali non  
etiam cum ejus internecione resistit, non modò licita, sed licet defen-  
etiam necessaria. Quisque enim ad vitæ suæ defensionem sion i renun-  
ita obligatus est, ut si aliter eam ab invasoris insultibus li- ciare.  
berare,

berare, ac in tuto collocare nequeat, eundem occidere possit, neutquam verò excusatur, si perire malit, quam alterum occidere. Non enim jus defensionis homini à naturā indultum, renunciationem admittit. Natura quippe minime alicujus libero arbitrio commisit, num cædem sibi à scelerato aggressore imminentem avertere, vitamq; suam tueri velit, vel non, sed vitæ suæ conservationem contrà quamlibet vim injustam præcepit, cum id jubeat sociale vinculum, quo homines sui, proximique conservationem intendere tenentur. Quare paclum, quo quis mortem inferenti se nolle resistere, paclus est, invalidum pronuntianum. *Stryck. V. 2. D. 12. c. 6. n. 78.* Nec eo casu, quo æterna salus proximi periclitaretur, renunciatio defensionis naturalis valet. Nam nec piis semper conscientia in numerato est, cum omnes sub venia vivamus. Subitum quoq; periculum accuratum examen non admittit. Quin in ipso concertationis fervore aliquid, ob quod collectis viribus requiratur contritio cordis, confessio oris, intercedere potuit. *Stryck. V. 2. D. 15. c. 3. n. 25. Conf. Puff. l. 2. d. J. N. & G. e. 5. §. 14.*

## §. VI.

*Nec se ipsū interficere.* Sicut verò vitam nefarii aggressoris libidini exponere prohibitum, ita nec concessum est in propria viscera sè viendo, vitæ suæ renunciare. Gravissimè quippe hoc modo in Deum, Remp. & se ipsum peccat, violentas manus sibi inferens. Deum laedit, id quod divinæ Majestati competit, detestando scelere sibi arrogando. A DEO pendet vitæ humanæ possessio, qui vitæ & mortis potestatem sibi referavit *Sapient. 10. conf. Gen. 9. v. 5. Act. 16. v. 28.* Militi prohibitum est, stationem suam absq; jussu Imperatoris deserere. Non itaq; licet homini, ex hâc vitâ, sine jussu Dei migrare. *Cic. in lib. d. Somn. Scipion.* Dilectio nostri constituitur

tuitur mensura dilectionis proximi. Proximi occisio illicta est. Non ergo propria cædes admittenda. Remp. offendit, dum eidem jus adimit, quod sibi vindicat utendo in rebus necessariis, socium eripit, ac perniciose exemplo scandalum præbet. In seipsum crudelis est, contra dictamen rectæ rationis, juxta quod unaquaq; res appetit se conservari in esse, atque se ipsam diligit, à suâ ipsius naturali inclinatione, & amore, quem sibi ipsi ex dispositione Juris Naturalis exhibere tenetur, recedens. Ex hoc capite non immeritò leges Taprobanensem, de quibus *vid. Diod. Sicut. l. 2 c. 57.* & Ceorum conf. *Strab. l. 10.* quibus civibus ultra vitam abjicere concedebatur, damnantur. *Puffend. l. 2. d. J. N. & G. c. 4. §. 19.*

### §. VII.

Renunciatio propriæ vitæ adeò illicita est, ut nec (1) valeat, si quis ad liberationem à turpi factō, ne illud præstare teneatur, consequendam, seipsum interficiat. Testantur historiarum monumenta, foeminas intemeratae castitatis studiosas, ad evitanda violenta stupra, quæ ipsiis à sceleratis intentabantur, se in flumina præcipites dedisse vel alio modo vitam ademissę. Nobilem & Christianam mulierem, ad Maxentium Tyrannum, quò hujus libidini inserviret, deductam, se ipsam interemissę *Euseb. l. 8. Hist. Eccl. c. 17. memorat.* Mulieres duæ Antiochenæ, teste *Procop. l. 2. de Bell. Pers.* captā urbe, ne quid turpe à viatoribus parenterent, sese in flumen præcipitarunt. Verūm haec ipsa neutiquam approbanda. Si enim foemina nullis viribus amplius resistere valet, Deo ultiōrem committere, non verò in propria viscera sœvire tenetur. *conf. Puff. supr. all. L.* Præterea quæ vi stupratur, mente virgo est, mens enim peccat, non corpus, & unde consilium abest, inde crimen abest. Quid gravius pati potest, quæ alienæ libidini sub-

Ampl. (1)  
non ad libe-  
rationem à  
turpi factō  
obstinenda.

sternere pudorem suum constanter recusat, quām mortem? Ea igitur expectanda potius, quām occupanda, nam mori velle, ne moriare, furor est. Anton. Matth. de Crim. l. 48. t. 5. c. I. n. 10.

### §. VIII.

(2) Non coe-  
lestiū gau-  
diorum  
causa.

Non valet (ii) renunciatio vitæ propriæ, etiamsi ea intentione, quò quis tanto citius celestium gaudiorum capax reddatur, propria cædes suscipiatur. Cleombrotum lecto libro Platonis de immortalitate animæ in mare se præcipitem dedisse scribit Tull. Qu. Tusc. 1. Hominem quendam in cubiculo suo se suspendisse refert Aeneus Robert. L. 1. Rer. jud. 4. 2. cum prius in chartula hæc verba scripsisset: Dissolvor, ut sim cum Christo, nec vana fides. Juvenis quidam rusticanus, concionatoris, de æternæ vitæ gaudiis ornatus dicentis eloquentiâ accensus, lethale vulnus sibi inflxit, teste A. Matth. de Crim. all. l. qui rectè ibidem memoratum casum expendens, exclamat: ignoras miser, hæc quoque gaudia expectanda, non rapienda esse. Talis ἀντίχεια manifesto in sanctæ spei anchoram impingit. Non licet prius in occursum sponsi egredi, quām ubi is venit. Æternus DEI Filius vult, ut coelestis Pater suos in mundo à malo servet, non verò ut eos ē mundo tollat.

### §. IX.

(3) Non si  
quis vider,  
se in probrū  
Dei victu-  
rum.

Renunciatio propriæ vitæ (III.) nec eo casu admittitur, si quis advertat, sibi, posthac in opprobrium DEI vitam esse transigendam. Evidem nonnulli Fbratorum referente Grotio, L. 2. de J. B. & P. c. 19. §. 5. n. 4. à lege se non interficiendi hanc causam excipiunt, tanquam ἐν λογοῖς ἔχαγων, laudabilem excessum seu objectionem, si quis videat, se deinceps vieturum in probrum ipsius Dei, existimantes, quia non nobis, sed Deo ius in vitam nostram competit, præsumptam Dei voluntatem solam esse, quæ mor-

tis

9  
tis anticipandæ consilium absolvat. Verum hæc exceptio  
recte rejicitur. Quis enim ejusmodi casum prævidere  
potest, cum futurorum contingentium non detur determinata  
veritas? Vel proprium peccatum hic metuimus, vel  
alienum. Si illud, virtus quoque Dei in infirmitate perficitur,  
& is, qui dedit averfari malum, dat quoque perficere bonum.  
Si hoc, non licet peccare, ne alter peccet, cùm  
juxta monitum Apostoli in Epist. ad Rom. 3, non sint facienda  
mala, ut indè eveniant bona. Ad exempla Samsonis, Saulis  
& Razis Senatoris Hierosolymitani frustrà provocatur. His  
occurrit Beccan. in Not. ad. all. Grotii locum.

### §. X.

Renunciare vitæ porrò non licet (IV.) quò libera-  
tionem à paupertate, morbo aliisque vitæ molestiis con-  
sequamur. Sit molesta paupertas, æquo tamen animo  
ferenda, cùm facilè fieri posset, ut præsentem egestatem,  
subsequentium temporum felicitas tollat. Sint graves mor-  
borum dolores, patienter sustinendi, brevi desiderata com-  
mutatio subsequi potest. Tedium excident alia[m] molestiæ,  
erunt diurnæ, sint licet nonnunquām diurnæ, non tam  
men erunt perpetuæ. Mollis animi indicium est, res æru-  
mnosas ac laboriosas declinare. Non decet militem, pro-  
pter ærumnas & pericula imminentia, stationem sibi ab  
Imperatore commissam deserere. Nec convenit, ob mo-  
lestias hujus vitæ, quæ tamen perpetuò ad extrellum usq;  
vitæ spiritum hominem comitantur, filum vitæ suæ ab-  
rumpere.

(4) Non ut  
a morbo,  
paupertate  
&c. libere-  
tur.

### §. XI.

Vitæ renunciatio (V.) ne quidem interveniente jussu  
judicis conceditur. Hinc justè reus judicii, veneni sum-  
ptionem vel incisionem venæ, vel alias violentarum ma-  
nuum illationem injungenti, obsequium præstare recusat.

(5) Non ad  
jussum ju-  
dicis.

B

Non

Non licet huic actum naturæ vires excedentem imperare. Neq; judici facultas exercendi in corpus alterius arbitrium irrestrictum competit, cùm ea non ex jure Dominii, sed saltem ex delicti proportione descendat. Qui actus itaq; licite imperari nequeunt, illi nec licite à reis peraguntur.

(6) Neq; ad Stryk. V. 2. D. 15. c. 3. n. 34. Non licet deniq; (VII.) renunciare vitæ, ad evitanda tormenta. Nunquam enim homini tanta in vitam suam potestas competit, ut ob imminentes corpori dolores eam internecioni dare possit. Nec interest, nùm tormenta graviora, an verò leviora sint. Äqualis enim utroq; casu militat ratio, Stryk. V. 2. D. 14. c. 3. n. 56. & seqq. Exinde fluit, quod nec aliquis sibi crimen morte dignum pro Parente aut amico tormentis magnis eripiendo imponere possit. Stryk. all. l. n. 66.

### §. XII.

Non verò in classem vitæ suæ renunciantium referendi, nec propriæ cædis rei pronunciandi, ad evitandas hostium manus, se navemq; suam Vulcano consecrantes & incendentes. Licet quippè Navarchū regulariter cum hoste perire teneantur, ipsi tamen saltē hostium ruinam intendunt, neq; omni medio conservandæ vitæ destituuntur, cùm in inferiore parte navis constituti sint, pulvisq; pyrius sèpius partem superiorem, salvâ inferiori tollat. Quin licet tota navis interitus periculo exponatur, vel in una tabula nihilominus medium conservandæ vitæ superesse poterit. Stryk. V. 2. D. 12. c. 6. n. 115. Hinc nonnulli inferunt, in altissimo loco constitutum ad flagrantissimum ac horrendum illius loci incendium evitandum, se in flumen præcipitantem excusandum esse, cùm non directò sui ipsius internacionem intendat, sed præsentissimam mortem fugiens ejusmodi medium, ex quo fortè vita conservari possit, eligat. Stryk. all. l. n. 116.

### §. XIII.

## §. XIII.

A propriæ cædis crimine quoq; absolventus Praefectus castelli, si ulteriori defensioni se imparem advertens, pulverem pyrum castello subjiciat, eoque accensō, se in minimas particulas discerpendum auræ committat, dummodo talis interocio expresso superioris jussu suscepta: *Wenn er ausdrückliche Ordre hat / das Schloß zu unterminiren / und sich mit selbigem in die Lüfft zu sprengen.* Expressum certumq; superioris mandatum de extremâ inversione subeundâ requirimus. Citrà hoc Praefectus castelli nullâ defensionis ipe amplius astigente se præsidiumq; suum certissimæ morti exponere non tenetur. Unde Gustavus M. Sveciæ Rex, referente Schwartz ad Jus milit. Suec. Caroli Gustavi adt. 12. a. 59. dixisse fertur, talem Praefectum Reip. quidem benè, sibi autem malè consuluisse. Verba ejus hæc sunt: *Und hat Gustavus M. Glorwürdigsten Andenkens von einem/ der sich solcher Gestalt vom Leben geholffen/ gesagt: Er habe bey ihm und dem Reiche tapffer und treulich/ bey seiner eigenen Person aber als ein Schelm gehandelt.* Conf. Dn. Stryk. in Disp. de Fortalitiis V. 1. D. 24. c. 8. n. 43. & seqq. Schæpf. in Disp. de officio Praefecti castelli ad extrema obligati c. 5. Bodin. in Disp. de obsequio militum in defendendo præsidio §. 12. & seqq.

## §. XIV.

Non modò vitæ, sed & membris corporis humani renunciare vetitum est. Nam nec horum Domini sumus l. 13. ff. ad L. Aquil. neque de illis liberè disponendi facultatem habemus, sed ad ea fovenda & conservanda obstrixi vivimus. Damnanda hic Evnuchorum hæresis, animæ salutem masculè querentium, dum mutilationem sui illam consequendi remedium esse, vel æternam vitam per injuriam Creatoris obtineri posse, falsò sibi persvadent.

Neq; Praefectus Castelli ad superioris mandatum castello pulverem pyrum subjiciens.

Non licet membris humani corporis renunciare.

Jus Canonicum propterea se absidentem *homicidam & Dei conditionis inimicum* appellat. c. 4. Disp. 55. Jus Civile pariter gravem satis, capitalem nempe poenam in eos, qui Evnuchos fecerunt, statuit L. I. C. de Evnuch. Si tamèn membrum cum gravi morbo conflictetur, metusque, malum latius grassaturum esse, subsit, tunc ad damnum toti corpori imminens avertendum, ne contagio mali latius se diffundat, membrum contagione infectum amputari potest. Nullum quoque homini in famam suam Dominium competit. Stryk. v. 2. D. 15. c. 5. n. 2. Quamobrem nec ejus renunciatio admitti potest. Quid de potestate se sub infamia obligandi *beym Schelten* judicandum sit, conf. Disp. Graffi de Promissione sub amissione honoris & existimationis.

Parentes  
juri alendi  
liberos re-  
nunciare  
nequeunt.

### §. XV.

Parentes juri, quo liberis alimenta suppeditare tenentur, renunciare nequeunt. Hæc quippe obligatio ex Jure Naturali descendit. Equidem adhuc controversia movetur, utrum obligatio, ex quâ alimenta debentur, sit perfecta, an imperfœcta, sive utrum illa adexpletricem, an verò attributricem justitiam spœdet. Grot. l. 2. de J. B. & P. c. 7. §. 4. statuit, non ex justitia expletrice, sed tantum attributrice liberis à Parentibus alimenta deberi, ita, ut Parentes quidem inhumaniter faciant, si illa denegent, liberis tamen non competit jus ab invitis Parentibus alimenta exigiendi. Sed ab hoc recedens Puffendorff. L. 4. de J. N & G. c. II. §. 4. Parentibus perfectam obligationem alendi liberos, quam diu seipso alere nequeunt, incumbere rectius docet. Parentes quippe generando videntur ultrò se obstrinxisse, quod, quantum in se, operam velint dare, ut vita, quam dederunt, conservetur. Magnam enim proli suæ injuriam facerent, si eam ideo tantum generassent, ut periret. De onere

13

onere lactandi infantem *conf. Jus Can. in c. f. Disp. s.* ubi  
prava consuetudo nominatur, quâ mulieres filios quos gi-  
gnunt, nutritre contemnunt, eosque aliis mulieribus adnu-  
triendum præbent.

### §. XVI.

Liberis pariter non licet juri, quo Parentibus egenis subvenire tenentur, renunciare. Quamvis enim respe-  
ctu juris alendi inter liberos & Parentes non æquale depre-  
hendatur vinculum, cum liberi, omni vita subsidio desti-  
tuti, in orbem prodeant, Parentes verò jam eâ conditione,  
quâ sibi ipsis prospicere poslunt, vivant; nihilominus amor, qui inter Parentes & liberos debet esse reciprocus, non potest salvus existere, si cum possim, egenti non suc-  
curram. *Stryk. de A. F. J. S. I. M. 2. §. 12.* Hic actus antipelargia nomine venit. Ανπιλαργία quippè dicitur, quasi ciconiaria vel alimentaria lex, quâ liberi Parentes alere jubentur. Ciconiarum enim ergâ Parentes senio laborantes, omnique ope destitutos, nota est pietas *conf. Disp. Passavant. de Antipelargia, Basil. anno 1672. habita.*

### §. XVII.

Libertas, cum sit *J. Naturalis §. 2. J. de J. N. G. & C. resq;* inæstimabilis judicetur, *l. 106. l. 122. l. 170. §. 1. ff. de R. J. & idèo favore ejus multa singularia in jure constituta sint, re-* Renuncia-  
tionem re-  
spuit Li-  
bertas.  
*Tantùm quippè libertati olim im-  
pendebatur, ut mallent vitam cum morte commutare,* quâ libertate excidere *L. f. C. de Pat. por.* Undè & capitalibus inimiciis annumerabatur, si quis alteri statum controvergia moveret. *§. 12. J. de Excus. tutor.* In censum eorum, quorum renunciatio de Jure Naturali non procedit, denique jus sanguinis & matrimonium referimus. Prioris Jus San-  
gvinis.  
*renunciatio haud admittitur, cum jura sanguinis nullo mo-  
do dirimi possint L. 8. ff. de R. J. Matrimonium renuncia-  
tioni* Matrimo-  
nium.

tioni non obnoxium, cùm præceptum divinum, multiplicationem generis humani per honestam sobolis procreationem injungens, obstet.

### §. XVIII.

De Jure di-  
vino non  
licet renun-  
ciare feriis  
divinis.

Dum ad illicitas juris divini renunciations progredimur, offerunt se feriae divinae. Abbreviandi futuri processus gratiæ renunciatio exceptionis feriarum; Das Et sich aller ferien ungeachtet vor Gericht stellen wolle / fieri solet. Hæc tamen renunciatio ad ferias divinas, cùm hæ sint in honorem Dei introducta, & ideo irrenunciabiles l. 7 C. de feriis, extensionem minimè patitur. Hinc & actus, licet utriusque partis consensu interveniente, in feriis divinis gestus, nihilominus nullitatis arguitur. c f. pr. X. de feriis, Stryk de C.C. S. 1. c. 5. §. 18. Nihil interest, nùnferiae sint solennes, an verò minus solennes. Prioris cultui divino consecratae, & ab ipso Deo constitutæ sunt. Postiores propter res prosperè gestas vel in honorem Principis extra ordinem indicuntur, quale festum Regnum Prussæ ob Augustissimi Regis nostri felicissimam coronationem summa cum veneratione quotannis colit.

### §. XIX.

Baptismo.

S. Coenæ.

Baptismo cùm juxta revelatae Theologiae principia sit ordinarium regenerationis medium, sanctum initiationis Sacramentum & janua per quam cœlum intramus, nemo, qui cœlestium gaudiorum capax reddi desiderat, renunciare valet. Lynker. in Diff. de Baptismo cap. 2. §. 1. Äqualis est conditio S. Coenæ. Hujus enim renunciatio pariter est illicita. Unde tales contemptores excommunicationis fulmini obnoxii, & à beneficio honestæ sepulturæ arcentur. c. 12. X. de sepult. Nihil quippè illis commercii cum Ecclesia intercedit. Quare quād diu in illo statu infelicissimam vitam vivunt, nec poenitentiam agunt,

ab

ab omni Ecclesiæ aditu repelluntur, ejusque beneficiis spoliantur.

§. XX.

Sacerdotibus antequam ad munus vacantis sacerdotii evanescantur, haec necessitas incumbit, ut prius coram coetu fidelium, cui postea praesesse debent, concionem ~~donum patrum~~, quam Brunn. l. 1. de J. Eccl. c. 5. §. 15. probatoriam, germ. die Prob. Predigt nominat, habeant. Ordinandus enim publice sistendus in Ecclesia Populo fidelium, si quis forte sit, qui ordinationi ob legitimum aliquod impedimentum contradicere velit. Nov. 6. c. 1. §. 10. Saluberrimum hoc institutum veteris Ecclesiæ, quo dabatur locus cuilibet contradictori & accusatori tanquam in publico crimen & interea suspendebatur ordinatio, ne forte indignus aliquis Sacerdotio obreperet, manasse ex prisco illo more, quo agonotheta sive designator certaminis, publice voce Praconis ad Populum proclamabat de athleta certaturo: effente, qui sciret aliquod ipsius crimen, propter quod ad certamen agnoscitum & praemia capessenda admitti non deberet, ex Chrysostomo observat Rittershus. P. 1. Exposit. Nov. c. 7. n. 36. Patronus itaque in suggestu ad videndum & audiendum populo eum, quem in defuncti Pastoris locum surrogandum esse putat, sistere tenetur, nec huic concioni probatoria renunciare potest. Carpz. L. 1. Jurispr. Consist. Def. 33. n. 5, 6. Nam ad vocationem novi Pastoris, consensus populi & judicium Parochianorum der Eingepfarrten desideratur. Quod ut fieri possit, concio probatoria praecedat, ne cesset. Nunc ad easus, quibus Jure Civili renunciatio illicitæ est, considerandos progredimur.

§. XXI.

Leges plerumq; à Legislatore eâ intentione promulgantur, ut perpetuo observentur, subditiq; illis suas actiones

Concionis  
probato-  
riae.

Princeps ne-  
quit renun-  
ciare pote-  
statis mutan-  
di legem.

nes accommodent. Unde s<sup>e</sup>pius contingit, ut Principes ejusmodi clausulas, quibus perpetuam illarum observantiam desiderant, legibus subjiciant. Quo in sensu plurimae loquendi rationes, quibus Principes hanc suam intentionem declarant, in Jure reperiuntur. Inde enim fluxit appellatio Legum perpetuarum. *L. 6. C. de divers. pred. urb. & ruris. L. 2. C. de Sent. ex peric. rec. l. 2. C. ubi quis de curiali vel cohortali. conf. l. 6. C. de sec. nupt. Nov. 59. in f.* Hinc leges, cum feruntur, h<sup>a</sup>c vel simili clausula muniuntur: Edicto perpetuo & irrevocabili sancimus. Reges Galli. Legibus à se latis illam fermè clausulam apponere consuevisse scribit Bodin. lib. 1. de Rep. c. 8. ut nec à nobis, posterisve nostris derogari possit, item, ne derogationis; cui nunc derogamus, deinceps ulla ratio habeatur. Expedit enim Reip. Leges diu in vigore manere, cùm ex crebra Legum mutatione non parum damni in eam redundet. In vetustate ipsa venerabilis est religio, qualis nulla in novitate deprehenditur. Exemplo nocet, quando qui evertit Leges priores, suas eo ipso everti posse testatur. Quamvis verò temerariæ legum mutationes apud civilis prudentia Magistros non immerito malè audiant, omnes tamen promiscue improbari nequeunt, cùm ob evidentem utilitatem rectè recedatur ab illo jure, quod diu æquum visum est. *L. 2. ff. de Confit. Princip.* Num autem Princeps hanc Potestatem mutandi legem sibi adimere, & futura dispositioni legislatiæ renunciare queat, addendo Legi clausulam, omnem contrariam dispositionem impedientem, disquiritur. Inter diversas Dd. sententias defendimus, Principem non posse Lege propriâ se ipsum obligare, ne in posterum illam revocandi jus habeat, cùm non omnes casus futuri prævideri possint. *Conf. Jun. Stryk. in Diff. de derogatione futura Dispositionis c. 1. n. 10. & seqq.* Summus Imperans nullum superiorem

riorem agnoscens, cùm legibus solutus sit, nullis legibus se constringere potest, & proinde, quoties ipsi visum fuerit, mutationem legis à se promulgatæ Reip. proficuam futuram, actus suos irritos reddere valet. Talia quoq; tempora incidere possent, quibus si leges servarentur, in summam legem Princeps peccaret. Unde Athenienses, licet mille talenta in arce reposuissent, poenâ capitis indicâ, si quis svaderet aut decerneret, ut in alios usus pecunia illa converteretur, præterquam ubi hostis urbem classe aggrederetur, iidem tamen ex defectione Chiorum metu perterriti, eam deinceps legem antiquarunt, referente Thucyd. del. 2 & l. 8. Hist. conf. Hertiis in Disp. d. lege clausulâ, ne abrogari unquam posset, munitâ.

### §. XXII.

Sententiâ judicis inferioris gravatis, jura succurrunt, concessâ appellandi facultate, non tantum in causis civilibus, sed & criminalibus. Nam & in his de Jure Civili beneficium conceditur appellationis L. 6. C. de Episc. aud. Ceterorum criminum rei tantum ab appellatione removentur. Exemplum est in virginum raptore L. unic. C. de rapt. virg. invasore violento, insigni latrone, factionis Duce, L. 6. ff. de appell. monetarum adulteratore l. 1. Cod. de fals. mon. Quid verò de moribus hodiernis obtineat, adhuc inter nonnullos dubitatur. In Camera Imperiali appellationes in causa criminali non recipiuntur. Nec mirum, cùm propter multitudinem litium ibidem occurrentium cause criminales nimium protraherentur, magniq; sumptus indè à Rep. ad alendos delinquentes exigerentur, nonnunquam etiam è carcere elabendi occasio reis suppeditari posset. conf. Ordin. Cameral. P. 2. t. 28. Admittitur tamen querela nullitatis insanabilis Ord. Cam. d. l. Quoad Saxoniam, conf. Carpz. Pr. Crim. q. 139. n. 14. & l. 3. Resp. 128. Jure Prutenico

Non licet  
renunciare  
Appellatio-  
ni in causis  
criminali-  
bus.

C

ad-

admittuntur appellations in criminalibus *Pr. L. N. Lib. 1.*  
*Tit. 44. A. 2. §. 5. & 6.* Cum itaq; constet, quām plurimis  
 in locis appellations in Criminalibus admitti, disquiritur,  
 an illis renunciari possit? Et Resp. Neg. Salus enim publica  
 hīc versatur, cujus non minus interest, innocentem absolu-  
 vi, quām nocentem condemnari. *L. 5. ff. de pœn.* Pratereā  
 nemo est dominus membrorum suorum, prout jam su-  
 prā audivimus, hinc nec perire volens est audiendus. *L. 6.*  
*ff. de appell.* Deniq; appellatio loco defensionis habetur.  
 Huic uti renunciare non licet, ita nec appellations renun-  
 ciatio conceditur. *Stryk. de C. C. S. 1. c. 5. §. 21.* Undē & pro  
 invito reſtē interponitur appellatio, quoniam Reip. inter-  
 est, homines conservari *L. 7. §. 3. ff. de bon. damn.* & omnium  
 refert, hominem hominis beneficio affici, *L. 7. ff. de Serv.*  
*ex port.* & ne ab insonte supplicium sumatur, terraq; inno-  
 centi sanguine polluatur. *Schultz. in Disp. de Beneficio invito*  
*dato c. 4. n. 43.*

### §. XXIII.

Restitutioni  
 in integrum  
 respectu  
 minorum.

Minoribus ætatis lubrico lapsis datur beneficium resti-  
 tutionis in integrum. Hujus renunciatio illicita est. Ra-  
 tio quippe, ob quam prætor minores restitutione in inte-  
 grum juvat, haec est, ne pupilli decipientur, nec tertius  
 cum damno minoris locupletior reddatur, sed ejus, quod  
 læsione ablatum, restitutio contingat. Fragile est, & in-  
 firmum minoris ætatis consilium, & multis captionibus ob-  
 noxiū, multorum insidiis expositum *L. 1. pr. ff. de min.*  
 Idem Homerus indicavit, sicut mentem ipsius his Versibus  
 expressit Huber. *in prælect. J. Rom. & hodiern. P. 2. t. de min. §. 1.*

*Nostri quām juvenes edant errantia facta,*

*Lubrica mens animi, quām sit prudentia parva.*

Quāmobrem minores eādem facilitate, quā læsionibus ob-  
 noxiū, etiam ad renunciandum beneficio restitutio in  
 in-

integrum moveri possent. Malè itaq; cum ipsis ageretur, si ex ista renunciatione remedio restitutionis in integrum privandi forent. Quod si tamen minor non simpliciter dicto beneficio renunciaverit, sed simul adjecterit juramentum, renunciatio ob vinculum juramenti valida est, ipsumq; dicti beneficij incapacem reddit. *conf. Carpz. P. 2. C. II. d. 50.* ubi elegans præjudicatum allegat.

#### §. XXIV.

Ad classem illicitarum renunciationum pertinet quoq; illa, quâ bonis moribus renunciatur. Certum quippe, & extrâ omnem dubitationis aleam positum est, renunciationem in vim pauci transire. Quem verò valorem pacta, bonis moribus contraria habeant, cui ignotum? *conf. L 6. ff. d. pacf. l. 1. §. 7. ff. deposit. l. 14. §. 1. ff. sol. mat. l. 6. ff. de V. O.* Variis autem modis aliquid bonis moribus repugnare dicitur. Ita (1) naturâ contra bonos mores est, si quis juramentum de iis non perficiendis, ad quæ tamen ex Jure Naturali obligatus est, juramentum præstiterit, veluti se nolle debitum Parentibus honorem exhibere. (2) Facto bonis moribus adversatur, quando v.g. quis juravit, se Sempronium interfectorum esse. Hoc enim casu non tantum natura, sed etiam turpe factum consideratur. (3.) Censurâ in bonos mores impingitur, quando id fit, quod lex improbabile censet, etiamsi actui illi nulla naturalis turpitudo insit, quorsum pertinet, quod Legibus Civilibus pactum de succedendo contrâ bonos mores esse dicatur.

Bonis moribus.

#### §. XXV.

Ex hâc fundamento apparet, renunciationem, quâ manus cum uxore pactum iniens, beneficio competentiæ à legibus introducto renunciat, ad illicitas referendam esse. Nam & hæc renunciatio bonis moribus vim infert. Læditur quippe reverentia, ab uxore marito exhibenda,

Beneficio competentiæ.

Juri reverentiali.

*L. 14. §. 1. ff. sol. mat.* Jus verò reverentiale neq; pacto, neq; renunciatione tolli potest. Undè in genere infertur, omnem renunciationem, juri reverentiali præjudicantem, prohibitis esse accensandam. Jus quippe reverentiale non modo ex legibus civilibus, sed etiam naturalibus & divinis descendit. Huic itaq; renunciare nihil aliud foret, quam pietatem laedere, existimationem perdere, verecundiam infringere. Sic Episcopus pacto renunciare nequit reverentiae, ab Ecclesiâ exemptâ sibi nihilominus debitâ. *arg. l. 3. C. de bon. libert.* Domini nequeunt pacto renunciare juri, ne servi torqueantur in caput eorum *L. 1. §. 8. & 13. ff. de quest. l. 8. C. de test.* Jura quippe hoc propter reverentiam Dominis à Servis debitam introduxerunt. Excipitur casus in *L. f. C. de quest.* Pactum inter Dominum & Servum initum, ut hic manumittatur, ob insignem libertatis favorem, admittitur, non tamen licet reverentiae renunciare, quam Patrono liberti exhibere tenentur. *L. 9. C. de cond. ob caus. dat. l. 8. C. de lib. caus.* Nam & Jure Patronatus remissio, non simul reverentia Patrono debita remissa censetur. Dd. quoq; exinde colligunt, nobilem juri prælationis, sibi præ plebejo competenti, non posse renunciare, cum hoc privilegium in signum reverentiae & honoris exhibendi nobilibus collatum sit, & alias Nobilibus, totiq; nobilitati præjudicium crearetur. *Covarruv. P. 2. relect. ad c. quamvis de patt. in 6. Tom 1. pr. n. 25. & 26.*

### §. XXVI.

Ampl. Etiam si ju-  
ramentum  
accesserit.  
Renunciatio Juris reverentialis adeò illicita est, ut nec valeat, etiamsi juramentum acceſſerit, propter turpitudinem, quæ illi renunciationi inest. Juramentum quippe, cum non debeat vinculum iniquitatis existere *c. 1. de con-  
fvet. sto. contrà bonos mores præstatum, nullam producit obligationem, c. 58. de R. J. sto.* Evidem opponi posset,  
quod

21

quod modo *all. cap. J.* Canonici loquatur de tali j̄uramento, quod est contrà bonos mores naturales, non verò de eo, quod est contrà bonos mores Civiles tantum. Verùm enim verò certum est, *all. t.* utique loqui de juramento contrà bonos mores naturales præstito; sed & hoc extra controversiam est, reverentiam, ob quam jura certis personis beneficia impertuntur, in Jure Naturali & Divino fundatam esse, ideòq; juramentum talium benefiorum remissione aut renunciationi adjectum, bonis moribus naturalibus & divinis aduersari.

### §. XXVII.

Separanda verò hic est renunciatio expressa à tacitâ. Ex-  
pressa per antè deducta omnino improbanda. Tacita verò, si  
fiat ex parte ejus, cui reverentia exhibenda, non vero illius,  
qui ad reverentiam præstandam obligatus est, subsistit. Pa-  
rentes & Patronus propter reverentiam sine venia in jus vo-  
cari prohibentur, nec huic juri expresse renunciare possunt,  
tacita tamen renunciatio valet, si Pater & Patronus non in-  
viti compareant, cùm volenti non fiat injuria *I. 34. C. de*  
*Transact. l. 1. §. 1 f. ff. de act. empt.* nec quis videatur fraude-  
re eos, qui sciunt & consentiunt, *L. 145. ff. de R. J.* Patronus  
libertum ingratum iterum in servitutem detrudere potest.  
Huic juri expresse renunciare nequit, benè tamè tacitè, si  
libertum omnes actus, qui alias à liberis hominibus pera-  
guntur, expedire patiatur, ac ingratitudinem in se commis-  
sam patienti animo ferat.

### §. XXVIII.

Leges & statuta negotiis gerendis certam formam  
præscribere solent, juxta quam debeant expediti. Huic Formæ à  
formæ à Legibus introductæ renunciare non licitum *L. 27.*  
*ff. de R. J. arg. l. 5. C. de jur. & facti ign.* Solennia à Legibus Legibus  
præscripta strictè observanda, *arg. l. 55. ff. de leg. l. l. 38. ff.* introductæ.

*de pacē.* Absoluta enim rei forma in solennibus consistit, ut ita omnes actus contrarii improbentur, & validitate destruantur. Sic cum leges ad validitatem donationis excedentis 500. solidos quoad excessum insinuationem exigant, huic renunciari nequit, sed eā non adhibitā ratione excedentis summae donatio effectū caret. Forma verò per æquipollens adimpleri nequit, sed præcile eo modo, qui legibus desideratur, implenda, neque huic formæ aliquid addi vel detrahi potest, cum formâ sublatâ omnis effectus tollatur. Exemplum evidens est in testamenti factione. In hâc enim formâ præscriptâ neglectâ, totus actus corruit. Jure Canonico tamen, quod & hodiernam praxim observare docet *Stryk. de C. C. f. 1 c. 5. §. 17.* nullo salutis periculo concurrente, renunciatio juramento corroborata, valet.

### §. XXIX.

Conditionis  
ni inde  
biti.

Renunciatio conditionis indebiti illicitis quoque annumeranda renunciationibus. Non enim tantum generalis renunciatio minimè excludit conditionem indebiti, sed nec eadem tollitur, licet conditioni indebiti specialiter sit renunciatum, prout hanc sententiam communiter Interpretes, longâ serie à *Struv. S. J. C. Ex. 18. th. 42.* recensiti, propugnant. Nec desunt rationes, quibus hæc sententia stabilitur. Quemadmodum enim quis ex errore solvit, aut promittit, ita ex eodem renunciat, dum se verum debitorum esse, neque propterea sibi conditionem indebiti competere existimat. Quare si postmodum indebitum appareat, renunciatio æquè ac solutio, propter intervenientem errorem, quo consensus excluditur, cum errans non consentiat, *l. 15. ff. de Jurisdic̄t.* nullum habet effectum *Bocer. Cl. 2. d. 8. th. f. Frantz. ad ff. t. de condic̄t. indeb. n. 27.* *Lauterb. in compendio Jur. t. de condic̄t. indeb. inf.* Quà facilitate

23

tate quis ad contrahendum induci potuit, eādem quoque ad renunciandum permotus. Non præsumitur quis juri, quod sibi competere nescit, renunciare. Renunciationes naturam actus principalis, in quo interponuntur, sequuntur, & renunciatio confessioni conjuncta juxta naturam principalis intelligitur. Unde si principale nullum est, renunciatio pariter nulla pronuncianda. *Tirag. in L. s̄unqu. C. de Revoc. Donat. in pref. n. 131. Brunnem. ad l. f. ff. de cond. indeb.* Valet tamē renunciatio conditionis indebiti, quando animus donandi, verbis renunciationis expressè declaratus est. *Struv. all. l. Lauerb.* Formula talis s̄istitur à *Gotho. fredo ad L. f. §. 3. condic̄t. indeb. lit. g.* hujus tenoris: *Si post bac apparuerit predicta indebitè, vel sine causa soluta, ex nunc prout tunc dedit & donavit, quicquid per conditionem indebiti, vel sine causâ, vel praetextu cuiuscunque erroris posset re-petere.*

### §. XXX.

Numerum illicitarum renunciationum auget quoque juris prohibiti renunciatio. Quoties enim legis disposi-tio refragatur, omnis contrahentibus adempta libertas. Frustrà quippe actum leges prohiberent, si illarum prohibitionem contrariis partis eludere privatis licet. Sic cum Leges donationes inter virum & uxorem constante matrimonio ex certis rationibus, quas passim apud commentatores *ad tit. ff. de Donat. int. vir. & Uxor. videre licet,* prohibeant, donatio contrà illarum legum prohibitionem facta, non obstante renunciatione, quā conjuges illis legibus renunciarunt, nihilominus invalida est. Usū venit, ut nonnunquam à contrahentibus futuræ prohibitioni renuncietur h.m. Solte auch dieser Contract ins künftige durch neue Lands. Ordnung verboten werden/ so soll dennoch der Gegenwärtige unter beyderseits Contrahenten beständig blei-ben.

Juri prohibitiivo.

bent. Et hanc renunciationem in illo casu, quando Legislator legem in specie ad præterita negotia extendit, invalidam pronunciat *Stryck.* de C.C. S. I. c. s. §. 15.

§. XXXI.

Favori do-  
tis.

Magnus legum in jure nostro reperitur cumulus, quæ summo dotem favore prosequuntur. Num verò huic favori dotis renunciari possit, quæritur? *Lauterbach. in Comp. Jur. ad t. de jure dot. defendit, uxorem favori dotis non posse renunciare.* Non enim tantum propter privatrum mulierum commodum, sed etiam Reip. emolumen-  
tum, cùm ejus interfit, mulieres dotes salvas habere, propter quas nubere possint. *L. 2. ff. de jur. dot.* tantus favor do-  
ti exhibetur. Temperamentum tamèn hic addit *Dn. Stryk. in Not. ad all. l. Lauterb.* scilicet non valere renunciationem quoad uxorem, ne uxor superstes repeatet dotem, quia sic indotata redderetur, valere tamen, ne uxore defuncta he-  
reibus dotem repetere liceat.

§. XXXII.

Legitimæ

Legitima, quatenus necessaria alimenta comprehen-  
dit, renunciationem respuit. Fatenus enim considerata de-  
scendit à Jure Naturali, cuius præscriptum leges humanæ  
sequi tenentur. Undè simpliciter denegata legitimā, non simulalimenta censentur denegata. Quare etiam Dd. in-  
ferunt, quod, si filia omnibus juribus tam paternis, quam  
maternis generaliter renunciaverit, non eo ipso simul juri  
alimentorum renunciatio censeatur, cùm jus succedendi à  
jure alimentorum separatum sit.

§. XXXIII.

Exceptioni  
N. N. P.

Exceptionis non numeratae pecuniae renunciatio non  
admittitur, cum ad delinquendum invitaret, quoniam cre-  
ditores occasionem lucra iniquissima & exactiones illicitas  
à debitoribns extorquendi, vel planè non, vel non totam,  
sicut

sicut in conventione expressum erat, pecuniam numerando, consequerentur. Præterea hæc exceptio ideo introducta est, quod facilitati debitorum pecunia indigentium succurreretur. Prout verò inopia debitoris ipsi facile confessionem, spe futurae numerationis elicere potest, ita eadem facilitate pro beneplacito creditoris ad renuncian-  
dum exceptioni nonnumeratae pecuniae moveri valet. Ob paritatem rationis modò dicta etiam in exceptione non numeratae dotis locum habent.

& N. N.  
dotis.

### §. XXXIV.

Clerici, vi privilegii à legibus concessi nullum tutelæ onus, nullam curam subire tenentur, quod eo melius à liis omnibus derelictis, Dei omnipotens ministeris inharent L. 52. §. 1. C. de Episc. & Cler. Num verò huic privilegio & immunitati renuntiare possint, in quæstionem venit? Resp. Episcopos & Monachos huic immunitati renunciare non posse, per Auth. Presbyteros §. 1. C. de Episc. & Cleric. & Nov 123.

Non possunt renunciare Episcopi & Monachi immunitati tutelæ.

c. s. Limitat hoc Brunnemannus ad all. auth. nisi essent personæ miserabiles, de quarum tutelâ vel curâ agitur. Alii verò Clerici, ut Presbyteri, Diaconi, Sub-Diaconi, legitimi tutores esse possunt, si intrâ quatuor menses apud judicem competentem voluntatem suam in scriptis manifestaverint, se nempè sponte tutelam suscipere velle. Brunn. all. l.

### §. XXXV.

Tutores finitâ tutelâ ad rationes reddendas obligati sunt. An verò Pater huic juri reddendarum rationum renunciare, seu in testamento suo disponere possit, ne à tuteore rationes administratae tutelæ exigantur, non parvum in controversiam vocatur apud Dd.. Duo verò casus hic ab invicem secernendi sunt. Unus est, quo testator, ultimum elogium conditus, eum tutorem, à quo nondum

Pater necessitatì reddendi rationes tutelares.

D ad

administratæ tutelæ rationem exegit, aneclogistum voluit; alter est, quo tutelæ adhuc administrandæ à testatore quis præficitur, & aneclogistus esse jubetur. Prior casu nullum dubium est, administratæ tutelæ rationem in testamento remitti posse, quemadmodum id iex l. 18. C. de fideic. colligitur. conf. Brunnem. ad d. L. Rappold. in Disp. de Aneclogisto c. 3. §. 4. De posteriori casu magis dubitatur. Negativam propugnant Ruin. Conf. 54. n. 12. Damhoud. de Tute 6. 3. n. 24. Covarruv. L. 2. Var. refol. c. 14. n. 3. Moller. L. 1. Semest. c. 29. n. 9. allegati à P. Schultz. in Disp. de Aneclogist. c. 2 n. 267. Pro stabiliendâ hâc Sententia provocant ad L. 5. §. 7. ff. de admin. & per. tut. & ex eâ hanc rationem eruunt, quod jus reddendi rationem jure publico introductum, privatorum passionibus minimè remitti possit. Hinc & Paul. Montan. detutelâ c. 38. n. 46. patrum, quo quis se non exacturum esse rationes promittit, invalidum & de jure non subsistere afferit, cum eo ipso alter ad delinquendum invitaretur. Aliis verò affirmativa arridet, tute remquè voluntate Patris bene aneclogistum fieri posse tinentur, si Pater, cui tutoris, quem liberis præponit, fides satis perspecta est, rationes remittat. Nobis placet media sententia statuentium, Patrem non omni redditioni rationum, sed saltem scrupulose atquè exactissimæ renunciare posse, patrisquè remissionem redditionis rationum in testamento factam, hoc modo esse intelligendam. Sryk. de C. C. 8. 3. c. 2. §. 1.

### §. XXXVI.

Filiif. SCto  
Macedonia-  
no. Agmen inter illicitas renunciations claudat SCti Macedoniani renunciatio. In antecessum supponimus beneficium SCti Macedoniani etiàm in foro conscientiæ obtainere. Nisi enim lege civili tuti in conscientia filii  
memo-

memorato SCto utentes redderentur, iniquitas eidem subesse videretur, dum non sufficienter periculo Parentum prospexit, quibus solutionem denegantibus, à filiis conscientia ad solvendum impulsis periculum imminere posset. *Stryk. V. 2. D. 12. c. 5. n. 62.* Hoc præsupposito, dicimus SCto Macedoniano non posse renunciari. Nam SCtum Macedonianum non tam in favorem filiorum, quam Parentum, ne filiifam, ære alieno obruti ipsorum vitæ insidias struerent, & illi Poetæ asserto locus esset:

*Filius ante diem patrios inquirit in annos,*  
constitutum. Quamobrem filiifam, favori alieno renunciare non possunt. Respicit hæc dispositio publicam utilitatem, cuius interest, *juvenile calores coarctari, ne cupidini dediti tristem sentiant exitum, qui eos post dispersum expectat patrimonium* *L. f. §. 5. inf. C. de bon. que lib. Jus publicum* verò, ob publicam utilitatem sancitum, privatorum pactis immutari nequit. *L. 38. ff. de paet.* Nullum facilius medium eludendi sanctionem SCti Macedoniani esset, si hoc renuntiatione tolleretur. Èa quippe facilitate, quâ ad pecuniam mutuò accipiendam filiifam, provolant, etiam ad renunciandum profilire possunt. Talis renuntiatione in patris, familie & Reipubl., foeneratores odio prosequentis, præjudicium tendens, circa rem illicitam versatur *Schilt. ad ff. Exercit. 27. § 60.* & ideo non valet, etiamsi illi juramentum adjecitum esset. *arg. L. 7. §. 16. ff. de paet. L. s. C. de Legib.* cum tale juramentum peccatum nutriret, & malitia creditorum indulgeret. Quare & *Jus Prut. L. 1. t. 25. a. 14. §. 5.* renunciationem juratam improbat. Restringitur hoc à nonnullis ad illum casum, quando creditor scivit, filium pecuniam male impensurum, vel etiam ad res luxuriosas pecuniam mutuò

dedit. Stryk. in Not. ad Lauterb. Comp. Jur. t. de SCto Maced.  
V. secundum conscientiam & de C.C. S. 2. c. 1. §. 15 conf. Wiffenb.  
ad ff. P. 1. D. 28. Th. 32.

### §. XXXVII.

Ad illicitas  
renuncia-  
tiones non per-  
tinent.

(1.) jus fu-  
turum.

(2.) exce-  
ptio præ-  
scriptionis.

(3.) forum  
privilegia-  
tum ratione est.

Clericorum.

In censum eorum, quæ renunciationem non ad-  
mittunt, solet referri (1.) jus futurum. (2.) exceptio præ-  
scriptionis. (3.) forum privilegiatum Clerici. Verum  
haec sententia non meretur album calculum. Quod enim  
primum concernit, licet renunciatio simpliciter & gene-  
raliter facta ad futura non extendenda, sed ad illa jura,  
quibus renuncians in præsenti gaudet, restringenda sit,  
non tamè eo ipso renunciatio jurium futurorum vetita  
jura, quibus quis renunciat, recenseantur, cum renuncia-  
tio ad non cogitata neutiquam extendatur. Gail. L. 2. O. 98.

n. 14. Formulam talis renunciationis futurorum jurium  
sistit Stryk. d. C.C. S. 1. c. 5. §. 14. Exceptio præscriptionis  
pro èa, quæ renunciationem respuat, minimè est ha-  
benda. Rationes tres allegat Stryk. all. l. §. 25. (a.) quia  
Dd præteritæ præscriptionis renunciationem admittunt.  
(b.) quia hæc renunciatione publicum Interesse non la-  
ditur. (c.) quia quod statuto, idem quoquè pacto induci  
potest. Ratione fori privilegiati Clericorum, quod his  
illi renunciare haud liceat, provocatur à nonnullis ad  
c. 12. X. defor. comp. ubi dicitur, quod non solum inviti, sed  
etiam voluntarii pacisci non possint Clerici, ut Secularia judi-  
cia subeant, cum non sit beneficium hoc personale, cui renun-  
ciari valeat, sed potius toti Collegio Ecclesiastico sit publicè  
indultum, cui privatorum pacto derogari non potest. Verum  
exiguum

29

exiguum hic praesidium in ratione à Pontifice adjecta, quam Cujacius optimo jure fucum & colorem non veram rationem esse asserit, deprehenditur. Hac quippe renunciatione, non juri publico, sed privato tantum derogatur, cum Clericus ita renuncians de jure & commodo suo proprio detrahatur. Zieg. in Not. ad Lancell. Inst. J. Can. L. 3. t. 1. §. 4. V. pactionibus privatorum. Quare Evangelici recte hanc renunciationem Clericorum validam existimant. Stryk. de C. C. S. I. c. 5. §. 18.

### S. XXXVIII.

De renunciatione cessionis bonorum, num ea ad classem illicitarum, an vero licitarum renunciationum referenda sit, gravis inter eruditos controversia moveatur. Non pauci illicitis accensent, his rationibus muniti.  
(1.) Quia nulli concessum, se obligare ad carceres, cum carcer sit species Servitutis L. 2. ff. de lib. hom. exhib. l. 7. ff. depos. quae morti comparatur, L. 59. ff. de cond. & demonst. L. 3. §. 1. ff. de cap. dim. L. 32. §. 6. ff. de donat. inter V. & II L. 209. ff. de R. J. Ast beneficio cessionis bonorum renuncians in effectu se ad carceres obligat, cum eo beneficio destitutus in carcerem detrudatur. (2.) Quia tale pactum, quo cessioni bonorum renunciatur, bonis moribus & humanitati repugnat. (3.) Quia creditor tantum hoc agere videtur, ut molestia & injuria debitorem afficiat. (4.) Quia conventio haec species oppignorationis, imo venditionis sui ipsius est, quarum ultraquam jure prohibita est. §. 4. J. de jure person. l. 6. C. que res pign. Lauierb. in Comp. Jur. tit. de cession. bonor. Eckolt ad ff. d. t. §. 9. Peretz. ad tit. C. qui bon. ced. n. 20. Bachov. ad Tr. V. 2. D. 24. Th. 4. l.

(4.) benefi-  
cium cesi-  
onis bono-  
rum.

e. Struv.

e. Struv. s. J. C. Ex 44. th. 28. Zæf. ad ff. t. de cæſ. bon. n. 17.  
 Alii verò ab his recedunt, debitori facultatem renun-  
 ciandi beneficio cessionis bonorum indulgentes, ex his  
 rationibus. (a.) Quia cæſio bonorum est beneficium in  
 gratiam debitoris obærati introductum. Quilibet verò  
 beneficio ſibi confeſſo renunciare potest. l. p. C. de paſt  
 (b.) Quia statutum de incarcerated validum eſt. Ergò  
 etiam paſtum valebit, cum statuta nihil illud ſint, quām  
 jus quoddam conventionale. Stryk. de C.C. S. 2. c. 1. §. 39. &  
 in Not. ad all. l. Lauterb. Ex his Sententiis posteriorem  
 amplectimur, ejusquæ defenſionem in præſenti  
 fuſcipimus.

S. D. G.







7+10  
TA-70C f

ULB Halle  
004 598 555

3



KOM





28.  
1704, 2 14  
43.

DISPUTATIO JURIDICA,  
DE  
**ILLICITA JURIS  
RENUNTIATIONE,**  
Quam,  
AUXILIANTE DEO,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO ac EXCELSISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,  
**DOMINO FRIDERICO  
WILHELMO,**  
REGNI PRUSSIÆ AC ELECTORATUS  
BRANDENBURGICI H. REDE. &c. &c. &c.  
CONSENTIENTE AMPLISSIMA FACULTATE  
JURIDICA,  
In Academiâ ad Pregelam Regiâ,  
PRÆSIDE,  
**PETRO Schwennern/**  
U. J. E. & P. P.  
Publicæ eruditorum censuræ proponit  
**JOHANN DANIEL CASSEBURG,**  
LL. Stud.  
Anno M. DCC. IV. ad Diem April.  
H. L. q. C.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

